I. N. J. C.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

ETYMO FENNIÆ,

QUAM

Consens. Ampliss. Facultat. Philosophicæ In Regia Academia Aboensi

PRÆSIDE

MAG. JOHANNE BILMARK,

HISTOR. AC PHIL. PRACT. PROFESSORE REG. & ORDIN.

Publico examini modeste subjicit

ISAACUS NORDLUND,

BOREALIS,

In AUDITORIO MAJORI Die XVI. Maji Anni MDCCLXXI,

Horis Ante Meridiem Solitis.

ABOÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

PRÆFATIO.

Quod Tibi, Benevole LECTOR, nunc exhibemus Specimen Academicum amor in natale ſolum, quem intenſiſſimum eſſe quotidie experimur, nobis expreſſit. Si enim quod res eſt profiteri liceat, ea potisſimum in Hiſtoriæ campo indagare ſemper cupivimus, quæ pragmatica eſſent; cetera quæ ad jucunditatem magis, quam utilitatem pertinent, obiter tractantes. Hoc tamen ipſo ſtudia illorum nequaquam ſufflaminamus, qui in Etymologia veterum vocum, regionibus, urbibus &c. impoſitarum, fecundam diſſerendi materiam inveniunt. Admiramur omnino eorum dexteritatem, præcipue dum eorum placita & facilitate ſua & veritatis ſpecie nec nimis longe petitis rationibus ſeſe commendant; viciſſim autem ſperamus, neminem nobis fore exprobraturum, ſi delicias iſtas, quæ ingenio noſtro minus conveniunt, parcius deguſtemus. Forte igitur & has meditationes in ipſa ſuppreſſiſſemus herba, niſi ut diximus, hoc Patriæ amori eſſet dandum, ut ejus nominis origo diutius latere non deberet. Vidimus enim non unam, ſed plures diſſertationes, de etymo Sveciæ pridem eſſe elucubratas; quare par etjam fuit, ut Fennus, de origine vocis Fenniæ nonnulla diſſereret. Quocirca in ipſo limine erit indicandum, in hoc argumento prorſus peculiare eſſe, quod populares mei aliter ſeipſos nuncu-

pent

pent & aliter appellentur a vicinis gentibus, adeo ut noſtrates, in Scriptis Eruditorum non verſati, ferme ignorent, ſe nominari Fennos. Cardo igitur rei in eo potiſſimum volvitur, ut diſpiciamus, qua occaſione diverſa hæc nomina ſint enata, & quare indigenæ atque exteri tantopere a ſe diſcrepent. Attamen ne Philoſophia quadam verbali Lectorem benevolum fatigemus, hinc inde obſervationes quasdam, quæ ad pleniorem veteris Hiſtoriæ Fennicæ illuſtrationem pertinent, opuſculo huic interſeremus.

§. I.

Antiquiſſimum eſſe Fenniæ nomen vel inde apparet, quod *TACITUS*, qui ſub VESPASIANO Imperatore adeoque ſæculo primo vixit, inter cæteras Germaniæ, quo nomine Septemtrionalem Europæ partem indicat, gentes recenſet etjam Fennos: Ita enim in *Libro de Germania*, *Cap. ultimo:* loquitur: *Peucinorum*, *Venedorumque & Fennorum nationes*, *Germanis an Sarmatis adſcribam*, *dubito.* Et paullo poſt partim deſcribit ſitum *Fenniæ* ultra Venediam, partim mores & Majorum noſtrorum vitæ rationem, prout illam ex relationibus acceperat, exponit; quæ tamen a præſenti incolarum indole adeo eſt diverſa, ut ex indicio Taciti Fennos nunc indagaturus, ad extremos usque Lappones excurreret. Similiter *PLINIUS* Patriæ noſtræ mentionem facit, ſed quam ipſe *Fenningiam* appellat: *Nec minor*, inquit, *opinione eſt Fenningia.* Sequenti tempore & *PTOLOMÆUS* & *JORNANDES*, Finniam in ſuis ſcriptis celebrant. Quum igitur prolixa adeo canitie ſeſe commendet Fenniæ nomen, dubitari poteſt, an Suomenma, quo nomine populares mei genuino ſuo idiomate appellant Patriam ſuam, ſit antiquius vocabulo Fenniæ. Id certo certius eſt, quod il-

 lud

lud in scriptis Eruditorum serius apparuerit, quam hoc.

§. II.

Antequam ad exponendam eam Penniæ etymologiam, quæ nobis convenientissima videtur, nos accingimus, prius erit indicandum, quid in isthoc argumento præstiterint alii. Sunt igitur, qui existimant, Penniam, seu ut in triviis nunc nimis frequenter dicitur, Finlandiam ita dictam fuisse a Gothico vocabulo Fijn, quod *subtile*, *elegans* atque *præstans* significat, & Land *terra*, adeoque *Fennia* seu *Finlandia* significaret *amœnam* & *pulcram terram*, vid. *Cosmograph. MUNSTERI p. m.* 844. & *BURÆI descript. on. Svec. p. m.* 56. Cujus etymi rationem redditurus *Nobil. GYLLENSTOLPE* in *descriptiou. Svec.* ita disserit; *Tanta profecto heic glebæ ubertas, tantaqae solis efficacia, quantam inexpertus vix unquam credet: ex una tonna* 15 *terram reddere. Venationes, aucupia & piscaturæ sunt abundantissimæ, unde quotannis immensa salitorum piscium copia in Sveciam lucrose divenditur.* Cetera, quæ hic Auctor adducit, encomia silentio præterimus, & verbo tantum monemus, quod Natura in Patriam nostram admodum fuerit munifica, quum singula, quæ non modo ad vitæ sustentationem, sed etjam ad delectationem pertinent, injussa fere apud nos proveniant. Nec hisce proximis modo sæculis, sed etjam remotissimis temporibus propter ubertatem celebrata fuit Fennia. Enimvero quum omnes terræ, antequam humana accedat industria, sint horridæ, sylvis ac paludibus scatentes, vix credi potest, primos Fenniæ incolas venusta novæ terræ specie adeo fuisse captos, ut illam veluti κατ ἐξοχὴν *terram venustam* aut *amœnam* nuncupaverint. Adde, quod Fennia & amplissima sit regio & nostro ævo, at quanto

to magis antiquiſſimis temporibus, rarius ab incolis habitata, montibus vero ſylvis ac paludibus paſſim tantum non deformata; quibus perpenſis, quisque facile intelligit, quod invita veritate dicatur, *venuſtam terræ ſpeciem*, præbuiſſe anſam primis incolis, a fertiliſſimis Aſiæ regionibus ejectis, & jam ſecuritatis aſyla ad ſeptemtrionalem cardinem quærentibus, incultæ adhuc patriæ nomen imponendi, quod culturam importaret. Denique non erit reticendum, quod cum hoc etymo conveniat aliud, magis forte domeſticum, quam prius allatum, ſcilicet *Fen* lingva Hungarica, quæ Fennicam agnoſcit matrem, ſignificat *lucidum*, *clarum*, vel *ſerenum*, uti docet *Math. BELIUS in exercitatione de veteri litteratura Hunno-Scythica cit. a STRAHLENBERGIO in Libro Nord-und Oſtheit von Europa p.* 66. Sed quod etymon non magis antiquæ convenit Fenniæ, quam ſupra memoratum *ſijn*. Si quis dixerit, Fennos propter gloriam rerum geſtarum *Fen* ſeu *illuſtres* fuiſſe nuncupatos; dubito admodum an hæc derivationis ratio primis gentis noſtræ ſtatoribus applicari poſſit; certe hæc opinio in annalibus nullum invenit præſidium. His enim prælucentibus conſtat quidem, Majores noſtros præclara multa in bello geſſiſſe facinora, ſed epocha horum factorum recentior multo eſt cognomine patriæ noſtræ.

§. III.

Nec deſunt, qui exiſtimant, almam noſtram nutricem fuiſſe nuncupatam Fenniam ſeu Finlandiam a Gothico vocabulo Finna *reperire*, adeoque Finlandia ſignificaret *terram repertam*. Finnur enim *inventorem terræ* indicare ajunt *Stephanus Olai in notis ad Eddam Sæmundi* 16. *& Gudmundus Andreæ ad eundem locum.* Aptiſſima omnino foret hæc derivatio, ſi modo in ſtudio etymolo-

gico obvium quodvis simul verissimum esset; sed cum anxia heic, uti alibi, opus sit indagine, dubito, an qui hoc proposuerunt etymon, rem ipsam acu tetigerint. Quamvis enim in confesso sit, Aborigines Fenniæ ex regionibus Paludi Mæoridi vicinis, ad has boreales terras pervenisse; nondum tamen inter omnes convenit, qua via huc penetraverint. Interim tamen maxima probabilitate sententia eorum sese commendat, qui opinantur, primos septemtrionis incolas, rei nauticæ ferme ignaros, se suaque omnia, quæ moveri possent, ratibus rudirer confectis commisisse, & cursum majorum Rossiæ fluviorum tenuisse, donec ad hunc mundi angulum, in quo consederunt, pervenerint. Enimvero quamvis latissimi sint hi fluvii, quamvis etjam concedamus, aquam olim aliquantum altiorem fuisse, quam nostra ætate, undiquaque tamen hi Argonautæ viderunt & densas sylvas & læta pascua, ex quibus inter peregrinandum sibi suisque pecoribus alim nta & pabula compararunt; adeoque Finlandia pro terra inopinato reperta ab illis haberi non potuit, quippe quæ non insula quædam est, sed cum Rossia in continuam terram exporrecta. Si rursus alteram adsumamus hypothesin migrationis, ponamusque primos septemtrionis incolas ex Asia in Germaniam, hinc in Svethiam, indeque in Fenniam maritimo itinere pervenisse, probabilior aliquandum evadit opinio, Fenniam dictam esse quasi *inventam terram.* Cum autem vicissim cogitamus, quod Fennia non longe distet a Svethia, & præterea, quod transitus hic variis insulis atque scopulis ita sit distinctus, ut vix una regio e conspectu nostro se subducat, quin altera caput quasi e fluctibus exserere videatur, migrantes certe populi, Fenniam, seu terram præter spem & opinionem a se inventam admirari non potuerunt. Ut non reticeam, hoc etymon, quo Finlandia a Finna *invenire* derivatur,

Gothi-

Gothicum esse, non autem, ceu jure postulamus, domesticum & Fennicum.

§. IV.

Alii rursus opinantur, Fenniam seu Finlandiam ita fuisse appellatam, a Gothica voce Fiende, quæ *hostem* significat, adeoque Finlandia denotaret *hostilem terram* & quidem sensu vel *passivo vel activo*. *Illo*, quatenus patria nostra hostium truculentissimorum incursionibus iterum iterumqne fuerit exposita. Quid? Quod Gothi & Norvagi, expeditionum Græcarum commilitones quærentes, nostros Majores in societatem longinquæ militiæ non raro adsumserint. *Hoc* autem, quatenus Fenni Careliis, Æsthonibus & Holmgardis mixti in Svethiam sæpe irruptiones fecerint, regionesque in meditullio regni sitas, gravissime oppresserint. Digna sunt hæc opinionis allatæ robora, quæ seorsim a nobis expendantur. Quantum igitur propter monumentorum defectum colligere possumus, Majores nostri proprios olim habuerunt Reges, nulli vicinorum Principum jure clientelæ subjectos, sub quorum auspiciis satis tranquillam diu degerunt vitam. Constat enim, tum quod Gothi ferociæ suæ stimulos ad meridionalem & occidentalem Europæ partem tunc direxerint, tum quod Holmgardi nec tunc, nec diu post exstinctum Fennorum regnum ita potentia increverint, ut de vicinis gentibus opprimendis cogitare potuerint. Quid vero obscura hac tempestate præstiterit vaga Hunnorum gens, & an Regibus nostris signa quandoque intulerit, tacentibus Historicis, indagare non potuimus; probabile tamen est, quod Hunni non minus antiquissimis quam sequioribus temporibus amicitiam cum Fennis coluerint. Ex quibus omnibus apparet, quod Majores nostri circa imperii sui auspicia non

ita ab hoſtibus fuerint vexati, ut patria ipſorum propter continuas irruptiones, *hoſtilis* dici meruerit. Quid? Quod omnes direptiones multo ſerius contigerint, quam patria Fenniæ nomine fuerit inſignita. Quod vero ad alterum momentum attinet, ſcilicet quod Sveci patriam noſtram appellaverint Finlandiam quaſi *terram hoſtilem* ideo, quia ab hac plaga irruptiones hoſtiles ſæpe perpeſſi ſint populi transmarini, hæc ipſa ratio in gratiam adſumtæ hypotheſeos tantummodo fingitur, & levis conjectura, inepta alia confirmatur conjectura, quo ipſo ne ſpecies quidem veri eidem incruſtari poteſt. Sed adſunt inſuper alia argumenta, quæ hypotheſeos lubricitatem planius oſtendunt. Scilicet vetera monumenta excutientes non deprehendimus, quod majores noſtri expeditionem quandam in Svethiam prius ſuſceperint, quam ATHIS Fenniæ Regis nepotes, GISLE ſcilicet & AUDUR, collectis copiis & navibus, in Svethiam ſeſe contulerint, vel a Patre Rege WISBURO dotem Matris ſuæ ſtatim impetraturi, vel a tergiverſante armis eandem extorturi. Hi autem Principes quum patrem re ipſa minus facilem experirentur, multas Svethiæ regiones igne ferroque ſunt populati. Sequenti, tempore Fenni quidem, Holmgardis aliisque populis orientalibus mixti, ratibus ſuis in Mælerum usque penetrarunt, & huic adjacentes urbes everterunt; ſed quum ante ſingulas haſce expeditiones patria noſtra fuerit appellata Fennia ſeu Finlandia, ſatis apparet, etymologiam allatam ſibi nequaquam conſtare; præſertim cum circa illud tempus, quo Fenniæ nomen accepit, nulla diſſenſionum ſemina inter Fennos & Svecos exſtiterint.

§. V.

Quum multis conſtet argumentis, quod veteres Hyperbo-

perborei, nomina regionibus, urbibus &c. impofituri, ad fitum & indolem earum potiffimum refpexerint, nonnulli etjam autumant, Fenniam ita dictam fuiffe a veteri vocabulo Goth. *Fen*, quod, uti obfervat VERELIUS in *Notis ad Hervar. Hiftoriam*, *paludem* denotat, quam fignificationem etjam in lingva Anglo-Saxonica, Germanica & Belgica habet; quæ opinio vix a vero abludit. Sicut enim FENNIA a Noftratibus ipforum idiomate dicitur Suomi & Suomenma a voce Suoo, quæ *paludem* fignificat; ita probabile eft, quod Gothi primum Suoo fua lingva expresserint per *Fen*, & Suomenma per Finlandiam. Rationem autem hujus etymi adferunt, quod in Fennia multæ paludes paffim occurrant. Contra hæc vero moneri forte poffent, partim quod omnes ferme faltem Septemtrionis provinciæ fuerint ab initio perquam paludofæ, antequam induftria humana cogeret has aquarum collectiones fefe vel in mare, vel in vicinos lacus exonerare; partim quod nulla fubeffe videatur ratio, quare Gothi Fennicum Suoo in fuum *Fen* converterent, quum nomina exterarum regionum immutata plerumque retinuerint. Addo denique, allatum hoc Fenniæ etymon effe peregrinum, non domefticum, quale nos defideramus.

§. VI.

Aliorum opiniones de origine vocis *Fenniæ* fatis examinavimus, &, quæ circa easdem moneri poffent, ftrictim indicavimus; liceat jam nobis aliam adferre etymologiam, publicæque cenfuræ fubjicere. Quum igitur STURLONIDES perhibeat, quod ad orientalem a Svethia partem habitaverit populus VANER feu VÆNER dictus, & exteris Scriptoribus, Germanis præfertim, follemne fit V per F exprimere; probabile eft, hos VANOS

 feu

ſeu VÆNOS non alios fuiſſe, quam noſtros Majores. Fuerunt autem *Vani*, *Vænni* ſeu *Fenni* ab antiquiſſimis inde temporibus ſatis illuſtres. DE OTHINO enim conſtat, quod bellum *Vanis* propterea intulerit, quia dum ipſe in Scandia novum regnum conſtituit, hi in patrias illius terras irruptionem fecerant, ſed quæ diſcordiarum ſemina paullo poſt, datis utrinque obſidibus, fuerunt ſublata. Ex *Vænnis* etjam orti ſunt NIORDUS, hujusque Filius FREJERUS, qui ambo, utcunque illuſtres, non ſunt confundendi cum Principibus cognominibus, qui poſt obitum OTHINI imperio Svethico præfuerunt. Poſtmodum Svethiæ Rex SVEGDURUS FJOLMERI Filius in matrimonium duxit Principem *Vanicam*, quo connubio veteris amicitiæ fœdera inter utramque gentem fuerunt confirmata. Hæc de claritate gentis Vanicæ dicta ſufficiant. Præterea vero in noſtris oris quærendam eſſe Vanorum Patriam vel exinde conſtat, quod plura heic occurrant locorum nomina, quæ memoriam veterum *Vanorum* refricare videntur. Notum enim eſt, partem occidentalem hodiernæ Roſſiæ appellari *Vænnema* ſeu *Fænnema* & *Venäläiſten-ma*. In confinio Careliæ & Ingriæ eſt lacus, qui *Vantza* appellatur. *Ahvanjärfvi* pagus in confinio Savolaxiæ & Tavaſtiæ. Noteburgum, caſtrum Careliæ munitiſſimum a *TORKILLO Canuti* Regni Svethiæ Prorege exſtructum, Roſſis *Venes-Zembli* dici, & cum Svethico vocabulo *Landscrona* idem prorſus ſignificare, exiſtimat *SCHÖNSTRÖM* in *ſua ad Hiſtoriam Svecanam introductione*. His accedit, quod ulteriores Carelii ſeſe invicem & olim & etjamnum *Venno* ſeu *Vanorum* nepotes ſalutent, quod Germani per Fenno expreſſerunt. His præmiſſis, originem vocis Fenniæ ſic paucis expedimus. Antiquiſſimis temporibus Patriam noſtram habitarunt *Vani* ſeu *Vænni*, Scytharum progenies, ex quibus ipſa terra fuit nuncupata *Vanhem* & *Vænnema*

nema promiſcue; & cum exteri audirent, Majores noſtros, Gothis in longinquis horum expeditionibus mixtos, ſeſe appellare *Vaner*, *Væner* & *Venno*, hinc & populum *Vænnos* ſeu *Fennos*, & Patriam horum *Fenniam* appellarunt. Quod ad originem vocis *Vaner* attinet; probabile admodum eſt, illam deſcendere a veteri vocabulo Scythico *Van*, quod *aquam* denotat, ſiquidem nulla fere eſt regio aquis adeo oportune interdiſtincta, ac noſtra Fennia. Et hæc ſignificatio cum Suomenma apprime convenit. Nec adſpernenda eſt hæc etymologia propter originem Scythicam, ſiquidem vix negari poſſit, quin Scytharum nationes quædam, cum Fennis in unam gentem coaluerint; an vero illæ *Neuri* fuerint vel alii populi, illis, qui in obſcuris hiſce monumentis me magis ſunt verſati, diſpiciendum relinquo. Supereſt ut inquiramus, quænam appellatio gentis noſtræ, aut qua *Fenni* aut qua Suomalaiſet dicuntur, antiquitatis palmam alteri præripiat. Sed heic denſæ nos involvunt tenebræ. Quod enim de Danis teſtantur indigenæ Scriptores, imprimis *ARPE in Themide ſua Cimbrica*, quod gentis illius nomen inter Græci & Latini generis Scriptores diu delituerit, & apud PROCOPIUM demum, EGINHARTUM & GEOGRAPHUM RAVENNATEM emerſerit, idem de nomine *Vennorum* ſeu *Fennorum* hac regione habendum, quod delituerit hæc orientis plaga diutius, neque niſi poſt longum temporis intervallum ad priſtinam uſuram redierit. Quam opinionem noſtram ſuo calculo comprobat b. m. Epiſcopus *JUSLENIUS in diſſertatione de Aboa veteri & nova*, ubi fatetur, nomina propria gentis noſtræ ab Ethniciſmo nulla ſupereſſe, ſed ſingula, quibus utimur, eſſe Chriſtiana. Id quod intelligendum eſt de Suomalainen, non autem de vocabulo *Fenno*, quippe quod inde a gentiliſmi temporibus fuit uſurpatum, ceu ex Græcis & Romanis conſtat Scri-

 ptoribus

ptoribus. Delituit tamen aliquantisper & hoc nomen; quare *BJÖRNERUS in sua Gothunheimia* fatetur, hanc nostram Finlandiam isto sub nomine inclaruisse, intermedio inter *ADAMUM BREMENSEM & STURLONIDEM* temporis intervallo. Cui pollicem premit *VILDE*, qui *in Histor. Pragmat. edition. Svecan.* asserit, lingvas Fennicam & Svecicam sorores esse ex eadem matre progenitas, quæ usque ad sæculum XII sibi perquam similes fuerint; quo posito, concludere par est, Fenniæ appellationem multo antiquiorem esse, quam Suomenma, quæ tunc invaluisse videtur, quando sæculo jam memorata Fennorum animi in Svecos ob truculentam nimis ad Religionem Christianam conversionem, ab ERICO JEDWARSONIO inchoatam, valde fuerunt exasperati.

§. VII.

Quandoquidem nominum Fennorum ac Venedorum maxima est similitudo, quæri hac occasione potest, an unam eandemque gentem olim constituerint? Ita quidem videtur, si quosdam veterum Scriptorum consulamus. *PLINIUS* enim, postquam de Scandinavia, quam *incompertæ magnitudinis insulam vocat*, locutus fuerat, hæc superaddit: *Nec minor opinione est Fenningia, quidam hanc habitari ad Vistulam usque fluvium, a Sarmatis, Venedis, Scyris, Hirris tradunt. PTOLOMÆUS* etjam, qui sæculo II. post N. C. floruit, hoc de Venedis scripsit: *Tenent Sarmatiam gentes maximæ, Venedæ per totum sinum Venedicum.* Et alio loco: *Minores autem gentes tenent Sarmatiam penes Vistulam quidem fluvium, sub Venedis, Guthones & Phinni.* Quorum auctoritati si addamus parem nominum originem, in confesso videtur, unam gentem diversis solummodo nominibus olim fuisse insignitam. Sunt autem alii, iidemque non minus graves

ves Scriptores qui populos modo memoratos a se distingvunt. Inter hos agmen ducit TACITUS, qui *Venedos medios inter Peucinos & Fennos* constituit. Nec hoc solum, verum paullo post diversos etjam Venedorum ac Fennorum mores exponit; illis Sarmaticam vivendi rationem imitantibus, his autem peculiari vitæ genere gaudentibus. Vel speciatim magis: sicut Venedi ingentes terrarum tractus latrociniis pecurrerunt; ita Fenni vix sylvas suas egressi, venatu potissimum vitam sustentarunt. A quo nec prorsus dissentit *JORNANDES*, qui ad Venedorum nationes refert *Venedos*, *Antes*, & *Slavos*, a quibus distingvit *Æstios* seu *Fennos*. Horum autem suffragiis nos adsurgimus, atque existimamus Venedorum nomen olim latissime patuisse, eoque indigitatos fuisse tantum non omnes orientales Maris Baltici & sinus Venedici accolas, proindeque generali Venedorum appellatione Majores nostros subinde fuisse comprehensos; interdum tamen & quidem accuratius ab illis distinctos. Ortos vero a nostris Majoribus fuisse Venedos, qui per Septemtrionales Germaniæ provincias, post SIGGUR-OTHINI in Scandiam adventum sese dispersenrunt, haud præter rationem opinatur MESSENIUS in *Scondia illustrata*. Remansit tamen Venediæ seu Vendiæ appellatio in his oris, siquidem post plura etjam sæcula a finitimis populis Fennia nostra fuerit dicta *Ostvendia*. Perhibet enim STURLONIDES, quod cum Norvagiæ Princeps HARALDUS HARDRÅDE in Gardariciam pervenisset, ab hujus Rege JARISLAVO adeo benigne fuerit exceptus, ut hic Præfectum militum præsidiariorum (*Land-varnar-mån*) & *Ostvendiæ* ipsum constituerit. Hoc autem nomine nostram indigitari Fenniam, alii pridem ostenderunt, quæ dicta fuit *Ostvendia*, non respectu Holmgardiæ, sed in relatione ad Svethiam. Denique observo, quod quum Rex Svethiæ in Augusto titulo etjam salutetur

Rex Venedorum, hoc nomine indigitentur boreales Germaniæ provinciæ, non autem Fennia noſtra, quæ Magni Ducatus Ordinem ex eo tempore, quo Svethiæ fuit innexa, tenuit, primusque Principum noſtrorum, qui Regis Venedorum titulum adhibuit, fuerit ALBERTUS, qui memoratas Germaniæ regiones jure hereditatis tenuit.

§. VIII.

Magnos omnino motus Mavortiis factis per univerſum terrarum orbem quondam excitaſſe feruntur AMAZONES, ſed quæ vix minorem ſtrepitum poſt facta & fata deinceps in republica litteraria cierunt. Antiquitatum enim admiratores inter ſe quaſi certaſſe videntur, ut quisque easdem ſuæ adſereret patriæ. Nihilo tamen minus dubitandi ſubeſt ratio, an bellicoſæ unquam & uspiam exſtiterint viragines, quæ ſolæ imperium tractaverint, vicinis gentibus ſigna intulerint, ſexumque oblitæ viros etjam robore ac rebus geſtis ſuperare anniſæ fuerint. Qua in re a nobis non prorſus diſſentiunt cordatiores quidam veterum Scriptorum, quos inter nominandus eſt STRABO, qui exiſtentiam Amazonum in dubium vocavit: *Quis enim credat*, inquit, *ut vel exercitus vel civitas, vel gens unquam ſolis conſtiterit mulieribus, & non ſolum conſtiterit, verum etjam invaſerit aliena: & non modo vicinis dominata, adeo ut usque in Joniam proceſſerit, ſed etjam exercitum miſerit usque ad Atticam? Hoc perinde eſt, ac ſi quis diceret, viros tunc mulieres fuiſſe, & mulieres viros.* Attamen expeditiones Amazonicæ magis miræ plerisque ſunt viſæ, quam ut ex aliorum expungi potuerint ſcriptis. Tacemus operam quam exteri, ut Amazonas ex ſui natalis ſoli gremio educerent adhibuerunt; noſtrates imprimis acriter pugnarunt, ut has viragines ex Scandia in conſpectum

vel

vel potius in terrorem universi orbis producerent; Scandiæ circo utcunque angusto includentes, quicquid augusti de boreali plaga prædicarent alii. At quamvis Amazones, si modo illæ unquam exstiterint, ante N. C. floruerint, licet etjam monimenta satis antiqua ostentet Arctos, primus tamen procul dubio borealium Scriptorum fuit *ADAMUS BREMENSIS*, qui adseruit, Scandiam fuisse Amazonum patriam, hoc potissimum nixus argumento, quod in Septemtrionali Fenniæ parte sita sit regio, quæ tunc dicebatur *Kvenland* & *Konuland*, quam vocem Gothicam ille reddit per *Terram Fœminarum*. Et ne quis fabulam de Amazonibus Hyperboreis in dubium vocaret, perhibent nonnulli, easdem per 80 annos bellum cum Svecis gessisse, sed tandem An. C. 53 a Svethiæ Rege EMUNDO ita fuisse debellatas, ut postmodum lacertos movere non potuerint. Immo recentioribus quibusdam placuit, veterem *Kvenlandiam* esse partem illam Ostrobotniæ, quæ *Cajania* nunc dicitur. Enimvero vix major est convenientia nominum *Kvenlandiæ* & *Cajaniæ*, quam Trojæ & Trosæ, & proinde eodem jure utræque permisceri possunt. Et quæ de EMUNDO in gratiam adsumtæ hypotheseos perhibentur, ipsa Chronologia prorsus evertit, quum Regem ejus nominis ante sæculum IX non suspexerint Sveci. Quamvis igitur non negemus, quin feminæ virilis animi olim exstiterint, præsertim cum & nostro tempore urbs quædam contra unius feminæ impetum Supremi Magistratus tutelam sibi expetere necesse duxerit, & quæ pro inde ipsi BRYNHILDÆ palmam fortitudinis reddit dubiam; nullo tamen constat indicio, quod solæ feminæ, saltem in Septemtrione, imperium sibi arrogare voluerint. Nec nomen *Kvenland* in hoc argumento utramque facit paginam; hoc enim nihil aliud involvit, quam *Venland* seu *Finland*, proposita, quod gentibus borealibus haud infrequens fuit, lit-

tera *K*. Sic ipſæ antiquum Holmgård in Cholmogorod, & Hunni in Chûni permutarunt. Quam noſtram ſententiam egregie confirmat vetus Hiſtoria, *Origines Norrigiæ* appellata; ita autem hæc incipit, *Forniotur hafur Kongur heitid, hann redi fyrer Jothland, er kallad er Finnland, ethur Kvenland, thad er fyrer auſtan Hafsbothn, thann er geingur fyrer mots vid Gandvijk* h. e. Fuit Rex quidam nomine FORNIOTHERUS, qui Jothlandiæ præfuit, quo nomine Finlandia ſeu Kvenlandia cenſebatur. Hæc ſita eſt ad partem orientalem ſinus Botnici, & extenditur usque ad ſinum Gandvik. Ex quo apparet, quod blande dormitent, qui terram Amazonum in deſerta fere etjamnum Cajania quærunt, quum *Kvenlandia* ſit noſtra Finlandia, & eandem nominis originem agnoſcat.

§. IX.

Ceterum ne levibus hiſce meditationibus, Tua, Benevole Lector, patientia abutamur, eisdem hac vice finem imponimus, felices nos prædicaturi, ſi ad illuſtrationem Hiſtoriæ patriæ ſymbolam quandam conferre potuerimus. Quicquid ſit DEUM O. M. ſupplices precamur, ut patriam noſtram, quæ poſt ipſum omnes omnium caritates in ſe complectitur, a quibusvis malis ſartam tectamque clementer conſervet, ut alma pace jugiter fruamur & nomen Ejus ſine timore celebremus omnibus diebus vitæ noſtræ.

S. D. G.

